

P R A E F A T I O A D L E
C T O R E M D E C A V S I S
P E S T I L E N T I A E.

Alexand.
Trallian.
lib. 1. ca. 1.



CONSTANS medicorum
doctrina est, priorem partē
omnis curationis ad causa-
rum iudiciorūque co-
gnitionem esse reuocādam.
Cum igitur crebrò inter e-
ruditos disputetur de causa huius tam horri-
bilis morbi, quem pestilentiam vocamus, cu-
iūsque publicam curandi rationem tradituri
sumus, visum est mihi esse opera pretium, pau-
cis hanc rem declarare, ut tantò facilius dili-
gentiūsque suo quisque officio in hoc dracone
(ut rectè illam appellat Galen.) domando,
placandòve fungatur. Meritò enim quibus-
dam dignum admiratione videtur, tam mul-
tos saepe vna in domo mori, in quam semel i-
sta lues incidit; & qui maturè inde fugerint,
plerumque illaesos manere. Quod qui inevita-
bilifato, aut immediata à Deo afflictione ac-
cidere autumant, meo iudicio, indistinctè lo-
quuntur. Nam quæ talis est pestis, non vulga-
ribus

ribus signis, & prorsus rarò, atq; miraculosè
 solet accidere. Connuere autè Deum ad mul-
 ta, & nos, quod possit, non semper tueri: aut,
 ut rectius loquamur, tum Diabolo, tum ho-
 minibus, quin etiam nobis ipsis ad proban-
 dos nos sepe numero uti, nihil dubito, tantum
 abest, ut inficias ire velim. Deinde & illud ra-
 rum est, & multis senio confectis nunquam
 visum, pestem ex communis aëris putrefa-
 ctione oriri. Nam & hic multa & manifesta
 signa præcedere necesse est. Vnde astrologos ex
 non satis exacta (quomodo enim possint tan-
 tarum rerum tam abditas naturas, syderum
 que omnium tam varias coniunctiones dis-
 iunctionesq; constanter obseruare?) causarum
 estimatione, sæpe turpiter hallucinari vide-
 mus. Ergo quando neq; Deum excludere, ne-
 que temerè nostri erroris autorem face-
 re fas sit, de sententia doctissimorū grauium-
 que virorum, tum philosophorum & medi-
 corum, tum theologorum hoc æquè dici posse
 videtur: pestem quidem omnem, sicut & alios
 morbos (vel Hippocrate teste) ac omnes aduer-
 sitates à Deo esse, sed nõ vnã tamen habere *Pestis est*
 naturam: alia enim merè diuina est, & sic *triplex.*

Diuina. 1. *proprie appellari possit; secunda naturalis: ter-*
tia contagiosa. Diuina quidem, quum imme-
diatè à Deo, vel fato diuino (ut eam Alex. Be-
ned. describit) nullo naturæ errore, nullo stel-
larum situ, aut syderum defectu minante, aut
hominum vitio temeritatèq; oritur. i. cum
Dei indignantis mera voluntate iraq; morta-
libus ob delicta sua immittitur. Dirissima au-
tem res est, & subito nata sæuissimè grassatur
in eos (neq; enim $\nu\upsilon\kappa\tau\omicron\mu\alpha\chi\iota\alpha\nu$ illius castiga-
tionem esse dicimus) qui signati non sunt:
quam neq; fuga, neque medicamentis euitare
possumus, aut debemus, sed tantum supplica-
tionibus, votis & expiationibus locus est. Ma-
nifestatur etiam plerumq; ut est, diuinis ter-
rificisq; planè signis, aut ipsius Dei, aut Pro-
phetarum voce.

Ion. 3.

Tob. 14.

Nab. 1. 2.

Naturalis 2. *Naturalis autem pestis est, quæ causis me-*
diatis, ac in natura consistentibus nascitur.
Hæc à quibusdam triplex statuitur, nèpe vel
ratione aëris, vel aquæ, vel terræ: ab aliis du-
plex (quod in idem ferè recidit) scilicet com-
munis & priuata: quarum hæc Epidemia pro-
prie non vocatur, etsi causa epidemia. i. com-
munis pestis aliquando existat. Quæ autem
vel

vel aëris, vel aqua, vel terra ratione accidit, nec proximè, nec propriè Deum autorem habere dicunt, etsi Dominum, cui parere cogatur, & cuius nutu regatur, habeat. Adeo autem & hæc sæpe furit, ut urbes nobilissimas, prouincias, regionésq; potētissimas (unde & nomen ἐπιδημίας esse videtur) integras aliquando exhauriat, regna subuertat, vestigia habitúmque priorem planè auferat, cæca ut plurimum (humanitùs loquor) incerta, inconstans, vaga, inexorabilis, sine lege sauiens, quoscunq; inuenit obuios rapiens, nullo nobilitatis plebisve discrimine, latè aliquando ab oriente usq; ad occidentem cuncta inficiens, imò & ad animalia, ad arbores, arborúmque & terræ fructus (unde syderatio illa, quã Græci ἀσποβολισμὸν vocant) denique & ad pisces transiens, elementis tabefactis, exitiali (ut opinantur) syderum Saturni & Martis coitu in sede Virginis aut geminorum, Lunæ Solisque defectu, caterisq; circumstantiis adiectis. Hoc malum miserabile mortalibus ita euenit aliquando subitò, ut plurimi sine febre inter domesticas aut forenses actiones, aut publica negotia decem vel viginti horarum spatio,

D. Hier.
 cap. 9 in
 Matth.
 Luc. 4.

ἐπιδημίας

H. Cardā.
 de rerum
 Variet. 15.
 cap. 18.

sine urina, pulsusq; certo signo, in templis, in
 via, in publicis officiis, imò nonnunquam in
 conuiujs lati, iucundi, securi (ò tristem huma
 nae naturae conditionem!) ex insperato, leui
 temporis momento abrumpantur. Quare in
 Corn. Cels. hac specie pestis illud tripharmacum (citò, lon
 lib. 1. ca. 10. gè, tardè) tutissimum ἀλεξιτήριον esse opinan
 tur.

Cōtagiosa.

3

Francis. de
 Pedemont.
 cap. 6. de
 feb. putr.

Pet. Bayr.
 de med.
 morb. dist.
 21. tract. 2.
 c. ap. 3.

De Variet.
 rerum. 8.
 cap. 46.

Illam verò quae originem à contagio habet,
 conuictu, vel contactu, vel habitu contrahi
 tur eius, qui ea est pollutus, acciditq; mera ho
 minum negligentia; quamuis non minùs ali
 quando seuiat, quàm priores duae, dum in cor
 pora idonea. i. quae prauis, vel ad putrefactio
 nem aptis humoribus redundant, tanquam
 ignis in stupam incidit, & securitate impru
 dentium, bonaq; consilia contemnentium quo
 tidie robur capit, atque sua mobilitate viget,
 virésque acquirit eundo: adeo ut ex priuato
 damno publicum, ex singulari uniuersale tan
 dem, quasi è parua scintilla ingens incēdium
 euadat, & secundum illud poëta,

Πολλάκι καὶ Συμπᾶσα πόλις κακῶ ἀνδρῶς ἐπαυρεῖ.

Hoc autē genus Epidemiae neq; Graecos, neq;
 Arabes cognouisse, testis est Hier. Cardamus,

cui

cui ego facile assentior. Cum enim temperantius viuerent, maturè medicorum opem requirerent, admitterentq, ac prudenter cum agris versarentur, huiusmodi mali disseminationem facilius prohibuerunt illi quidem.

Quæ cum ita sint, facile intelligi potest, quemadmodum pestem à Deo hominibus immitti Scriptura referat, & quo pacto audientes præceptis suis ab ea liberet. Nullum enim pilum capitis nostri sine voluntate eius cadere, nullum malum in ciuitate, quod Deus non fecerit, esse, equidem fateor. Sed hæc non semper immediatè à Deo proficisci, ut proxima eorum causa dici debeat, vicissim iudico: imò rectius & magis propriè de sua & proximarum causarum natura eiusmodi existere dicenda sunt, quàm respectu prouidentie Dei.

Quia unumquodq, à principiis suis internis Ch. Pezel. 3 parte arg. Philip. de necess. & fat. arg. 7. VV. Musc. Loc. com. de afflict. vel proximis. i. à sua natura denominandum est, non à causis externis. Quid enim, si quis ebrius in ignem aut aquam incidat: aut dum ob ingluuiem vomitum sibi ciere studet, in rupturam venæ thoracis, & hinc in phthisin deueniat, an Deo potius, quàm ipsius ebrij intemperantia ascribes? Si quis in otio, ascri-

duâq; crapula viuens, cibo multiplici ac hu-
 mido intempestiuè & sine ordine se explens,
 luxu diffluēs, Veneri, choreis, balneis, somno
 totus deditus, aëri modò frigido, modò cali-
 do sese exponens, copiam cruditatis & pitui-
 tæ maximè hyeme, & in frigida regione colli-
 gens, cælo pluuioso, natura humidus, obæsus,
 ætate senex vel puer: si talis, inquam, in febrē
 quotidianam incidat, an non potius natura
 negligentiaq; hominis, quàm diuina prou-
 dentia attribues? At si præter simplicem pu-
 tredinem, alienam quoque perniciem isti col-
 lecti humores, ac sensim vetustate degenerã-
 tes, venenique cuiusdam participes habue-
 rint: aëris quoque fortè inquinamenta ex
 infectis paludibus, lacubus, antris, specubus,
 hominum animantiũque cadaueribus aut
 excrementis, aut ex aliis grauioribus expi-
 rationibus accedant, & ex temporum tem-
 pestatũque inordinatis exuperantiis pro-
 cedant, corpũsq; humanum iam ad suscipien-
 dum aptum, vel cum cibo, vel aëre, vel quo-
 uis modo aliter penetrent: si, inquam, hæc ita
 contingant, & natura suæ febres malignas
 pestilentēsq; proferant, quis non potius in na-
 turam

Ioh. Far-
 zel. de feb.
 4. cap. 17.

turam tum aeris ac putredinis, tum intemperitatem incuriamque hominum, quam in Dei peculiarem & meram punitionem causam referat? ut merito apud Homerum querantur dii his verbis:

Ω πόποι, οἷον δῆνυ θεὸς εἶροτοὶ αἰπόωνται
 Ἐξ ἡμέων γὰρ φασὶ καὶ ἔμμεναι, οἱ δ' ἔτι αὐτοὶ
 Σφῆσιν ἀταδάλησιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν.

Simili enim propemodum errore nonnulli involuuntur, quo apud Hippocratem quidam ipsius interpretes. Cum enim ille medicos ob-^{1 Epid. 3.}servare iussisset, an quid diuini inesset mor-^{Galen. in prognost.}bis, illi hoc eò torquebant (inquit) quasi ira^{Hipp. comment. 1.}Deorum morbis corriperebantur homines. Quod Galenus in comm. ex mente eiusdem Hippocratis pernegat: etsi enim ambo non satis distinctè, utpote vera Dei cognitione destituti, de hac re iudicarunt: tamen non mox quacunque alicui incognitas aut à vulgi opinione multum diversas causas habent, simpliciter diuina, sed fors admiranda quis dixerit.

Quæ igitur ratio est, quæres, quòd passim tam constanter pestilentiam præ aliis morbis^{Sacrum & diuinum. 1.} diuinam pœnam homines esse iudicent?^{ισρὸν.}
 An quia plerunque graue & atrox malum

Hieron. in
Matth. 9.

esse experiuntur? Nam & veteres tam Græci quàm Latini, sacrum seu diuinum appellare consueuerunt, quod insolitum, uehemens & admirandum est. Esto uerò. Hoc tamen doctorum & piorum testimoniis constat, non semper, quod ab initio dictum est, Dei immediatam esse punctionem, quemadmodum illi uel præ imperitia, uel nimia religione sibi persuaserunt. D. Hieronymus ait, plerasque corporis debilitates (quod sanè ei concedendum est) euenire propter peccata: ergo plerasque aliis de causis, id est, natura, hominum ueternitate & negligentia (quod M. Lutherus de peste Vitebergensi, anno 27 ultrò fatetur) accidere, eo ipso indicare uidetur. Et Basilius re ac nomine magnus, non omnes ægitudines esse naturæ, aut ex neglecto uictu, aut aliis quibusdam principiis, quibus medicina utilis sit, affirmat, sed sæpe flagella peccatorum ad conuersionem à Deo inducta esse, secundum illud: Quem diligit Dominus, castigat: castigat autem omnem filium quem recipit. Certè cùm dicit non omnes & sæpe, aliquas quoque naturæ esse, & sæpe non immediata à Deo flagella esse hoc ipsomet fatetur.

tetur. Possem idem summorum ac præcipuo-
 rum virorum multis & luculentis testimo-
 niis probare, sed puto neminem esse, nisi planè
 oculis & mētē careat, aut præ a^uda dēq; omnes
 sensus obstupescētos habeat, qui id velit ne-
 gare. Quare cū veritati consentaneum sit
 quod dicimus, facessat illorum imperita per-
 tinacia, qui omnem pestem immediatam Dei
 plagam esse persuasi, nullum conatum, nullū
 studium ab hominibus adhiberi ad eam abi-
 gendam; sed tantū cum Euchitis ad preces
 & supplicationes confugiendum esse volunt:
 omnes humanos labores & sumtus vanos &
 inutiles esse dictitantes: quod similiter cen-
 sent nonnulli de reliquis omnibus morbis. No-
 bis enim longè aliter sentiendum est: qui cū
 Deo omnia subiecta esse, illiusq; nutu regi, piè
 confiteamur; nostro tamen vitio naturæq;
 cursu multa contingere affirmamus, quæ
 post Deum humana ope & studio e-
 mendari, vitari, veletiam
 mutari possint &
 debeant.



